

1. Quia, licet non meminerit, non tamen negavit; ex argumento autem negativo nihil sequitur: alioquin pariter arguam, porrectionem instrumentorum non esse materiam essentialem, quia nec SS. Patres, nec Concilium Trid. illius meminerunt; sed tantum impositionis manuum. 2. Ideo Concilium Florent. non expressit impositionem manuum, quia intendebat tantum instruere Armenos inquirentes unionem Ecclesie Romanae in iis, quae ignorabant, aut de quibus dubitabat circa illius ritus; non ignorabant autem impositionem manuum esse adhibendam, quam ipsimet cum tota Ecclesia adhibebant, sed ignorabant porrectionem instrumentorum esse necessariam requisitam in Ecclesia Romana; & idem hanc expressit Concilium: sic Trid. sess. 14. c. 3. cit. non meminit porrectionis instrumentorum, sed impositionis manuum tantum, quia intendebat ibi solum declarare, quando Sacerdos feret idoneus Minister Extremae-Uctionis; quod tunc demum obtinet; quando per impositionem manuum accipit potestatem absolventi; quia ut alibi dixi ex Trid. Extrema-Uctio est consummativa Penitentiae. Nec tamen Florentinum omnino tacuit impositionem manuum, sed implicite significavit remittendo ad Pontificale Roman. Prout, inquit, in Pontificali Romano latè continetur: In Pontificali autem exprimitur impositio manuum tamquam materia essentialis.

Inst. 1. Gregorius IX. jam citatus cap. Presbyter Extr. l. 1. tit. 16. duo dicit. Primum, impositionem manuum esse ritum introductum ab Apostolis. Secundum, quod, si in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi sit praetermissa, nihil sit iterandum, sed id, quod praetermissum est, suo tempore esse ante supplementum: ergo impositio manuum non est materia essentialis, alioquin non haberet institutionem ab Apostolis. & ea omnia, Sacramentum foret iterandum. R. N. Conseq. Utrumque enim Ant. bene dicitur in nostra sententia, & illi favet. Primum, manus impositio est introducta ab Apostolis, quatenus signum sensibile a Christo in genere determinatum; Apostoli autem ad hanc rem specificè, scilicet ad impositionem manuum, determinaverunt. Secundum, praetermissa tamen impositione manuum, non est iterandum Sacramentum, quia parte confert potestatem consecrandi, quia ex hac parte validum per traditionem instrumentorum; sed supplenda, seu ponenda est impositio manuum omnia, ut habeatur potestas absolventi, quia completur Sacramentum novae Legis.

Inst. 2. Candidatus post porrectionem instrumentorum & formam ipsi respondentem ante tertiam impositionem manuum est Sacerdos; vocatur enim in Pontificali Ordinat; & verba Consecrationis profert cum Ordinatore: ergo ista manuum impositio est accidentaliter. R. D. Ant. Candidatus post porrectionem instrumentorum est Sacerdos incompletè, C. completè, N. Sacerdotium enim novae Legis secundum institutionem Christi duplicem potestatem includit, primam consecrandi, alteram absolventi. Unde, si una absit, non est completum. Si istas, per impositionem manuum ordinari quidem ut Judicem, non ut Sacerdotem. N. Quia, ut dixi, non est perfectè Sacerdos novae Legis sine potestate absolventi, & idem per impositionem manuum ordinari etiam ut Sacerdos.

Urgebis: una pars essentiae non potest esse sine alia: ergo. R. D. Ant. In compositis physicis, C. in moralibus, N. Constant enim saepe partibus essentialibus successivis.

Obj. 3. contra eandem. Quando aliquis Ordo habet plura officia, in collatione officii principalis tota ejus essentia consistit, ut patet in Ordinibus minoribus; atqui praecipuum officium Presbyteratus est consecrare corpus Christi: ergo in ritu hujus potestatis collativo, qui est porrectio instrumentorum, tota ejus essentia consistit. R. D. Maj. Si ea officia sint levis momenti, & ita inter se connexa, ut minora sequantur ex majori, C. secus, N. In Presbyteratu autem duae potestates collatae sunt maximi momenti, nec ita inter se connexae, ut una sequatur ex altera, ut dictum est. Aliud in his, quae pendunt ex voluntate instituentis, non urget argumentum a pari.

Inst. Tota essentia Sacramenti Ordinis est per relationem ad corpus Christi consecrandum, per id enim distinguitur ab aliis Sacramentis: ergo, posita semel hac potestate, cetera sunt accidentalia. R. N. Ant. Quamvis enim in Presbyteratu relatio ad Corpus Christi consecrandum sit primum & praecipuum ejus distinctivum, secundario tamen ad ejus essentiam, proit est institutus a Christo, pertinet relatio ad administrationem Sacramenti Penitentiae.

Petes 1. Utrum in collatione Presbyteratus conferatur duplex character? R. id esse incertum. Quidam existimant, conferri unum tantum in porrectione instrumentorum, qui extenditur in impositione manuum; idque colligunt ex D. Th. hic q. 37. art. 5. & q. 38. art. 1. ad 4. alii duplicem agnoscunt characterem; quia duplex est potestas distincta: character autem nihil aliud est, quam potestas. Neque id repugnat S. Thome probat hic Sylvius q. 37. art. 5. sed quidquid sit, res est levis momenti.

Petes 2. Qualis contactus materiae sit necessarius necessitate Sacramenti, non solum in Presbyteratu, sed etiam in aliis Ordinibus? R. juxta quosdam sufficere contactum morale, sicut in porrectione materiae, & aliquo signo acceptationis, v. gr. extensione manus versus instrumenta, quia sic quandoque conferuntur officia secularia. Alii & tutius requirunt contactum physicum, saltim mediatum. Auctor (Ibid. q. 34. art. 5. ad 5.) utramque sententiam proponit, & quamvis videatur primam ut probabilem admittere; magis tamen inclinatur in secundam, dum post relatum primam addit: *Tamen ipsa verba formae ostendunt ostendere, quod tactus materiae sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc, vel illud.* Idque videtur probare magna Episcoporum sollicitudo, ut materia physice tangatur ab Ordinandis: unde innuitur, hanc esse Ecclesiae intentionem, sic materiam determinantis in specie. Adde, in aliis Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, Extrema-Uctione requiri contactum physicum: quidni in isto? Hinc sequitur, aliter ordinatum esse saltim sub conditione reordinandum. Dixi: *Saltim mediatum*; quia probabile est, non tamen certum, quod sufficeret tangere materiam mediante velo, vel chirotheca. Indubium autem est, quod sufficit tangere mediante suo continente, vinum mediante calice, panem mediante patena; quia illud verè dicitur tangi, quod tangitur in suo continente. Et ita est praxis Ecclesiae.

Petes 3. Quae sint officia Sacerdotis? R. Primum est conferre Eucharistiam. Secundum ligare, aut abolvere poenitentias, ut dignè accedant ad Sacramentum Eucharistiae, supposita tamen jurisdictione. Tertium administrare alia Sacramenta, scilicet Baptismi, Eucharistiae, & Extrema-Uctionis, accedente consensu proprii Sacerdotis. Quartum benedicere populum etiam in Missa benedictione simplici; non solemnè, praemisso *Adjutorium nostrum in nomine Domini*: id enim pertinet ad Episcopum in sua Dioecesi, ad Archiepiscopum in tota Provincia, cum ipsam visitat; ad Legatos in terminis suae Legationis, ad Abbates in Ecclesiis sibi pleno jure concessis.

ARTICULUS II.

Quae sit materia & forma Diaconatus?

Diaconatus generalitèr est Ministerium. Diaconus Minister, sed usu Ecclesiastico ab Apostolis derivato dicitur Diaconus, qui proximus ministrat Sacerdoti sacrificanti.

Dico. Probabilius est, Diaconatus, sicut Presbyteratus in Ecclesia Latina duplicem esse materiam & formam, scilicet impositionem manuum Episcopi cum his verbis: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus*; & traditionem libri Evangeliorum cum his verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.*

Prob. 1. Quia Concilium Carthag. 4. Can. 4. ex una parte assignat pro materia Diaconatus impositionem manuum Episcopi, *Diaconus, inquit, eum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium ordinatur.* Non est autem verisimile, Concilium aliquod accidentale assignasse, omisso essentiali. Ex altera parte Concilium Florent. in decreto unionis assignat pro materia traditionem libri Evangeliorum. Ut ergo haec duae Synodi conciliantur, dicendum est duplicem esse materiam & formam, ut in conclusione. 2. Utrique ritus refertur in Pontificali, tamquam materia & forma Diaconatus. 3. In impositione manuum, de qua magis dubitatur, confertur gratia, ut patet ex ejus forma, adjecto Tridentino, ut supra: ergo est verisimiliter pars Sacramenti.

Dices 1. contra 1. partem. Per impositionem manuum non confertur Diacono specialis aliqua potestas, sed quid commune omnibus Sacramentis, ut patet ex ejus forma; atqui Ordo consistit in potestate: ergo. R. N. Maj. Conferitur enim, ut verba sonant, illa animi fortitudo, qua Diaconus debet esse instructus ad ministrandum Sacrificio, & ad annuntiandum Evangelium ex officio contra omnia impedimenta occurrentia ex parte hostium fidei, quibus Diabolus utitur tamquam Ministris; quae animi fortitudo est potestas specialis, non minus quam ea, quae conferitur in confirmatione ad profitendam fidem ex officio coram Tyranno.

Dices contra 2. partem. Initio Ecclesiae non erat liber Evangeliorum, nec consequenter legebatur Evangelium in Missa: ergo. R. N. Conseq. Esto enim initio Ecclesiae liber Evangeliorum non fuerit materia partialis Diaconatus; postea tamen Ecclesia, cum vellet disertius significare potestatem Diaconi, (Ibid. q. 37. art. 5. ad 5.) nec posset ad hoc designare calicem cum vino, & patenam cum pane, quia est materia Presbyteratus, neque calicem vacuum, & patenam vacuum, quia est materia Subdiaconatus, designavit traditionem libri

Evangeliorum;

Evangeliorum; quae optime significatur, tradi potestatem ministrandi Sacerdoti in Sacrificio, & specialiter cantandi in eo solemniter Evangelium, quod est unum ex praecipuis ejus Ministeriis. Cetera argumenta praecipua sunt Articulo praeced.

Petes 1. Utrum in Diaconatu conferatur duplex character, sicut diximus probabiliter conferri in Presbyteratu? R. probabilis negativè; quia non sunt potestates tam diversae, nec tanti momenti. Unde videtur sufficere ejusdem characteris extensio, ne sine necessitate multiplicentur characteres?

Petes 2. Quando conferatur character? R. probabilis conferri in principali materia; quam putamus esse traditionem libri Evangeliorum, cum per eam habeatur proximior accessus ad Eucharistiam. Nec refert, quod sit posterior tempore impositione manuum; totum enim Sacramentum moralitèr perseverat, donec principaliter pars perfectatur; & sic nihil impedit, quominus character per eam impressus extendatur ad priorem partem.

Petes 3. Quae sint officia Diaconi? R. primum esse Sacerdoti celebranti immediatè assistere, & ministrare. Secundum solemniter legere Evangelium in Missa. Tertium ex commissione Episcopi, vel Parochi solemniter baptizare. Quartum de licentia Episcopi praedicare. Quintum ex commissione Parochi in necessitate Eucharistiam dispensare.

ARTICULUS III.

De materia, forma, & officiis Subdiaconatus, & minorum Ordinum.

Subdiaconus, qui est olim Hypodiaconus, seu subminister, dicitur est, eo quod ejus ministerium sit deservire in Sacrificio Diacono, qui est principalis Minister. Dico 1. Materia totalis Subdiaconatus est traditio calicis vacui, & patenae vacuae; forma verò haec verba: *Videte, cujus Ministerium vobis traditur: idem vos admonet, ut illa vos exhibetis, ut Deo placeat possitis.*

Prob. Hanc, & non aliam tam materiam, quam formam assignant Concilium Carthag. 4. Can. 5. Concilium Florent. in Decreto unionis, S. Thomas in 4. d. 25. q. 1. art. 1. ad 2. consequenter in ea traditione character imprimuntur.

Dices. Traditio libri Evangeliorum est essentialis Diaconatus: ergo traditio libri Epistoliarum est essentialis Subdiaconatus, maxime si attendatur haec forma: *Accipe librum Epistoliarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia, &c.* R. N. Conseq. 1. Quia in positivis, seu quae pendunt ex voluntate, non valet argumentum a pari. Ecclesia autem, ex cujus voluntate pendet determinatio materiae Ordinis in specie, ut diximus, assignat pro materia Diaconatus traditionem libri Evangeliorum, & non assignat pro materia Subdiaconatus traditionem libri Epistoliarum; illius enim non meminerunt Concilium Carthagineense, & Florent. quae de materiae Ordinum poterat designari, ut jam dixi, per traditionem Calicis cum vino, & patenae cum pane, quia haec est materia Presbyteratus; neque per traditionem Calicis vacui, & patenae vacuae, quia haec est materia Subdiaconatus: unde debuit designari per traditionem libri Evangeliorum, cujus sollemnis decantatio in Missa est unus ex praecipuis ejus actibus. At per traditionem Calicis vacui, & patenae vacuae absolute designatur praecipuus actus Subdiaconi, qui est ministrare Diacono, non cantare Epistoliam, cum olim cantaretur a Diacono, non cantare Epistoliam, sed tradidit Subdiacono librum Epistoliarum cum his verbis: *Accipe librum, &c.* non imprimi illi Characterem, qui imprimitur, ut dixi, in traditione Calicis, & patenae; sed deputat simpliciter ad officium cantandi Epistoliam, sicut deputat ad varia alia officia, cum illum vestibus sacris induit, ad quorum singula verba adhibet.

DISSERTATIO III.

DE MINISTRO, ET SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

D. Thom. Suppl. a QQ. 35. 36. 38. & 39.

ARTICULUS I.

Quis sit Minister Sacramenti Ordinis.

Duplex distinguitur Minister Sacramenti Ordinis, Ordinarius, & Extraordinarius. De utroque est questio. Dico 1. (Suppl. q. 38. art. 1. & Opusc. 5.) Solus Episcopus est Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis. Constat. 1. ex Scriptura, quae non aliis, quam Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis jus tribuit conferendi Ordines. Act. a. 6. v. 6. & c. 14. v. 22. 2. ad Tim. c. 1. v. 6. 2. Ex constanti Traditione, quam evincunt Concilium Carth. ann. 348. Can. 5. Arelatense 5. ann. 554. can. 7. Brevenense anno 563. Can. 3.

Itaque primum, & praecipuum officium Subdiaconi est deservire Sacrificio, ministrando Diacono calicem, & patenam, eique offerendo panem, & vinum, tamquam oblationes Populi, ut eas tradat Sacerdoti. Secundum, cantare sollemniter Epistoliam in Missa. Tertium, deferre Crucem in Processionibus.

Dico 2. Materia Acolythatus est duplex. Prima traditio urceoli vacui cum hac forma: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* Secunda traditio candelabri cum cereo extincto sub ista forma: *Accipe cereferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari in nomine Domini:* unde Acolythi dicebantur olim Cereferarii. Dicuntur etiam ab aliquibus *Acolythi*, id est, *sequentes*, seu *pedisequi*, quia sequuntur Diaconum in ministerio.

Dubitatur, an utraque materia sit essentialis. At, cum utraque referatur in Concilio Carthag. Can. 6. & in Pontificali Rom. nihil obstat videtur, quominus utramque dicamus essentialem. Equidem S. Thom. hic q. 37. art. 5. ad 6. dicit, quod principalior actus Acolythi sit ministrare in urceolo, & quod in ejus traditione imprimatur character: verum id non impedit, quin materia minus principalis sit etiam essentialis, & ad eam extendatur character, sicut diximus de Diaconatu.

Officium Acolythi est 1. Urceolos cum vino, & aqua ad Missam preparare, & Ministris offerre; non vero in calicem immittere in Missa sollemnè, quod pertinet ad Subdiaconum. 2. Cereos preparare, accendere, deferre ad Evangelium, tempore Consecrationis, &c. Materia Exorcismatus est liber Exorcismorum; & forma: *Accipe, & commenda memorie, & habe potestatem imponendi manus super Energumenes, sive Baptizatos, sive Catechumenos.* Unde patet, ejus proprium Officium esse, invocatione nominis Dei, impositione manuum, & Exorcismis, ab Ecclesia approbatis, pugnare adversus Demones, & ut a corporibus obsessis exeant.

Utrum verò omnes fideles possint Exorcismos probatos super Energumenes privatim legere? Quidam negant; affirmant Suarez T. 2. de Relig. libr. 4. c. 2. n. 11. Sanchez in opere moral. libr. 2. c. 42. n. 18. Quia, inquit, omnes fideles habent potestatem impugnandi, & arcendi Demones; majorem tamen habent, qui ad hoc ab Ecclesia sunt ordinati; & idem hi soli solemniter, & ex officio exorcere possunt.

Materia Lectoratus est codex divinarum Lectionum; forma: *Accipe, & esto Verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter Officium tuum impleveris, partem cum iis, qui Verbum Dei ab initio ministraverunt.*

Officium Lectoris est alta voce legere, sive cantando, sive simpliciter recitando sacras Scripturas, etiam ipsam Evangelicam, non in Missa, sed in aliis divinis Officiis. Olim etiam novos fructus oblatos a fidelibus benedicebat, & Catechumenos rudimenta Fidei docebat. Item Episcopo concionante eam Scripturae partem, quae explicanda erat, praesagebat. Sed haec in dissuetudinem abiierunt. Quidam arbitrantur, etiam Lectori competere Officium praedicandi, quia in Pontificali habetur: *Lectorem oportet legere ea, quae praedicat; sed hi hallucinantur: Praedicare enim ibi nihil aliud significat, quam alta, & clara voce recitare. Unde sensus est, quod Lector debeat ex libro & non ex propria mente legere, quae alta, & distincte recitat.*

Materia Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiae; forma haec verba: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae tuis clavibus recluduntur.* Officium Ostiarii erat portae Ecclesiae aperire, & claudere, indignos ab illa arcere. Indigni autem reputantur Ethnici, Excommunicati, Interdicti, Energumens, fugitivi, publice poenitentes in primo gradu poenitentiae. Item vestes sacras, deposita fidelium, & omnem Ecclesiasticam suppellectilem custodire.

Haec omnia, quoad materiam, & formam Subdiaconatus, & Minorum Ordinum, ex Concilio Carthagin. 4. ex Pontificali Rom. collecta sunt.



Hispanense ann. 619. Can. 5. Item S. Athanasius in Synodo Laodicena ann. 317. probat, Ichryam accusatorem suum non esse verum Presbyterum, quia ordinatus fuerat a Collutho, qui erat Episcopus. S. Epiphanius Hæres. 75. Hieron. Ep. ad Evangelium, S. Chrysostom. Hom. 11. in Tim. hoc discrimen statuit inter Episcopum, & simplicem Sacerdotem, quod Episcopus possit ordinare, non simplex Sacerdos. 3. Ex Concilio Flor. & Trid. Florentinum in Decreto unionis sic habet: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti (Ordinis) est Episcopus. Et Trid. Sess. 23. Can. 7. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem. . . anathema sit.* Unde Conclusio est de fide.

Suffragatur ratio. 1. (Hic Ibid.) Ad solum Principem jure ordinario pertinet ministeria publica distribuere; atqui solus Episcopus est in Republica Christiana Princeps; ergo. 2. Potestas ordinandi non est potestas jurisdictionis; sed Ordinis, quam Episcopus accipit in sua consecratione; ergo illam non habet, qui non est Episcopus consecratus. Et idem dixi in Conclusione: *Episcopus consecratus*; quia Episcopus solum electus & confirmatus, non consecratus, licet possit alteri Episcopo committere ordinationem sui subditi, non potest tamen ipse illum ordinare; quia illa commissio est actus jurisdictionis, Ordinatō autem actus Ordinis.

Dices 1. Nicephorus lib. 8. c. 19. & 24. dicit, ordinatos a Melerio, qui sibi Episcopalem vindicabat auctoritatem, fuisse valide ordinatos. Si respondeatur, Melerium fuisse verum Episcopum, saltē in quos ordinaverat Sacerdotes, & ejus Schismati non adhererant, juxta Concilium Nicænum I. in Ep. Synodica ad Ecclesiam Alexandr. habebant. *Jus ordinandi, & eos, qui digni Clero fuerint, nominandi*; ergo. R. Revera Melerium fuisse Episcopum, sed illegitimè ordinatum, quia de causa Nicephorus dicit ipsum sibi vindicare potestatem Episcopalem, cujus exercitio erat privatus. Jus autem ordinandi in Epistola Synodica Concilii Nicæni non sumitur pro jure consecrandi, seu ordinandi sacramentaliter, sed pro jure eligendi, suo suffragio probandi, & confirmandi Ministros a populo electos, & nominatos; quo jure privabantur ii, qui Melerii schismati adhererant.

Dices 2. Episcopus potest Episcopum ordinare; ergo Presbyter Presbyterum. Item, qui potest majus, potest minus; atqui simplex Sacerdos potest consecrare Eucharistiam, quod est quid majus, quam consecrare Sacerdotes; ergo. R. 1. Hæc argumenta a pari, & a majori ad minus non valere in is, quæ pendunt ex voluntate Christi. 2. Ad 1. disparitas est. Quod Episcopus, & non Presbyter, sit Princeps, cujus est distribuere ministeria publica. 2. Quia Episcopus non habet superiorem in potestate Ordinis; unde, si ab Episcopo ordinari non possit, a nullo potest ordinari. Presbyter autem habet Episcopum se superiorem. (Ibid. ad 4.) Ad 2. valet commune adagium in is, quæ sunt ejusdem, non diversi generis; consecrare autem Eucharistiam, & constituere Ministros publicos sunt diversi generis.

Dico 2. (Ibid. ad 3.) Simplex Sacerdos ex commissione Ecclesie, seu summi Pontificis potest esse Minister extraordinarius Tonsuræ, & quatuor Minorum.

Prob. Concil. Nicænum II. ann. 787. can. 14. hanc facultatem concedit Abbatibus Sacerdotibus ab Episcopo benedictis, & Chorepiscopis, refertur cap. Quotiam d. 69. Idem Innocentius III. c. Cum contingat extrâ libr. 1. tit. 14. Alexander III. cap. Requiriuit ibid. ut. 13. dicit, quod hujusmodi Ordines a non Episcopis quandoque conferuntur. Eadem facultas conceditur sive ex consuetudine, sive ex privilegio Cardinalibus Presbyteris. Tandem Concilium Trid. sess. 23. c. 10. Reformat. dicit: *Abbatibus, & aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, & privilegiatis, non liceat in posterum . . . cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre*; ergo supponit, suis Religiosis posse conferre.

Dices. Si summi Pontifex possit simplici Sacerdoti concedere facultatem conferendi minores Ordines, id potest, vel ratione Ordinis, vel ratione jurisdictionis. Non ratione Ordinis; alias Episcopus, qui est æqualis Papæ quoad Ordinem, pariter id posset, quod non admittitur. Non ratione jurisdictionis; quia hæc non respicit corpus naturale Christi, sed mysticum; ergo. Respondent quidam, id posse summum Pontificem ratione facultatis sibi Christo concessæ. Sed & responderi potest, id posse ratione supremæ, & plenæ jurisdictionis in totam Ecclesiam. Ad probat. in contrarium D. Potestas jurisdictionis non respicit directè corpus Christi naturale, C. indirectè. N. ratione enim jurisdictionis Episcopus potest dare facultatem suo subdito, ut ab alio Episcopo ordinetur.

Inst. Conferre Ordines est actus Ordinis, & non jurisdictionis; alioquin Episcopus electus, & non consecratus posset ordinare. Vel ergo est actus Ordinis, seu consecrationis Episcopalis, vel

Presbyteralis. Si hoc secundum, quis Sacerdos potest jure suo, non secus, ac Episcopus, valide ordinare. Si primum, non potest alteri, quam Episcopo committi; non enim actus Ordinis potest committi illi, qui non habet Ordinem: ergo. R. Conferre Ordines jure suo ordinario esse actum Ordinis Episcopalis; conferre autem Ordines jure extraordinario esse actum Ordinis Sacerdotalis, quatenus per Ordinem Sacerdotalem confertur Presbytero inchoata potestas ad ordinandum, quæ per commissionem Pontificiam perficitur, & completur. Confer, quæ dixi de Confirm. art. 7. §. 2. obj. 2.

Quantum ad Subdiaconatum, plures censent, etiam posse ex commissione conferri a simplici Presbytero: quia Gelasius Ep. 1. admonet Presbyteros, ut meminerint sibi nullo modo concedi, ut Subdiaconum, vel Acolytum ordinem absque Romani Pontificis permissione; ergo ea permissione accedente possunt. Refertur etiam privilegium concessum Cisterciensibus, de quo modò. Quidam arbitrantur id a D. Thom. negari hic q. 38. art. 1. ad 3. quia dicit, quod ex commissione Papæ Sacerdos simplex possit conferre minores Ordines, & Confirmationem . . . non autem majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi. Sed, ut apparet, S. Doctor intelligit de Ordinibus, qui quovis tempore habiti sunt sacri, seu majores propter immediatam relationem, quam habent ad corpus Christi, qualis est Sacerdos, qui illud consecrat, & Diaconus, qui ministrat; non Subdiaconus.

De Diaconatu major est difficultas. Negat S. Thomas loco cit. posse conferri ex dispensatione a simplici Presbytero. Idem censet Scotus, & communiter antiqui Scholastici cum pluribus junioribus. Principium D. Thomæ est, quod Papa non habet majorem potestatem in corpus Christi, quam Sacerdos simplex: ex quo inferit, quod simplex Sacerdos ex ejus commissione non possit habere potestatem conferendi Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, qualem habent Presbyteratus ad consecrandum, & Diaconatus ad deferendum, vel distribuendum. Affirmant autem plures Recentiores, fundati præsertim in Privilegio, quod dicit concessum Abbati Cisterciensium ab Innocentio VIII. ann. 1489. quo ipsi concedit facultatem conferendi minores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum suis Religiosis, ut auferatur ipsis occasio discurrendi extrâ Monasterium. Hoc Privilegium relatum in Bullario Rodriguez testatur se vidisse Vazquez. Similiter Berti testatur, se legisse in Bullario Cisterciensium, & Rodriguez; atque hoc Privilegium ipsum fuisse Generalem Cisterciensium ann. 1662. Romæ, sciente, & probante summo Pontifice, & ann. 1663. Gandavi in Belgio, subditos suos ordinando Subdiaconos, & Diaconos, refertur Henno, & Berti. Unde dicunt, quod, si S. Thomas, Scotus, & veteres Scholastici hoc & alia privilegia similia, quæ circumferuntur, vidissent, sententiam mutassent.

Respondent autem alii, Bullam hujus Privilegii multis titulis esse dubie fidei. 1. Quia non invenitur in Bullario, Romæ edito. 2. Quia Cisterciensibus eo privilegio non uti sunt, nec utuntur: quod si verum esset, non omitterent præsertim in Gallia, ubi eorum Monasteria sunt constituta, & Concilium Trid. non semper fuit receptum quantum ad reformationem: *Nec nostra, nec Patrum nostrorum memoria*, inquit Halerius sect. 5. de Ministro sacre Ordin. art. 2. §. 2. *Cisterciensibus eo privilegio uti sunt. Quod si a sancta Sede obtinissent, nusquam procul dubio ab eis usui tamdiu se continuissent, præsertim in Gallia.* Quod autem referunt in contrarium Henno, & Berti de Generali Cisterciensium, nullo sciunt testimonio. 3. Non solent Pontifices concedere, plusquam petitur; petebat autem tantum Abbas Cisterciensis, renovari privilegium conferendi suis Monachis Tonsuram, & minores Ordines, ut patet ex prima parte Bullæ, & in posteriori parte, seu in concessione datur facultas conferendi Subdiaconatum, & Diaconatum. 4. Concilium Trid. sess. 23. cap. 10. de Ref. referens, & restringens privilegia Abbatum quantum ad Ordinationes, hujus nullam facit mentionem, sed tantum privilegii conferendi Tonsuram, & Minores. Quod autem quidam dicant, se istud privilegium legisse in quibusdam collectionibus particularibus, non probat esse legitimum, & a S. Sede emanatum. Respondent insuper, esto, quod existat hujusmodi privilegium, summ. Pontificem in hoc se gessisse secundum quod convenientius, & melius existimavit ex privata sententia; se nihil hoc facto definivisse.

Quantum ad Presbyteratum, communissima S. Thomæ sententia contra paucos admittit, est, quod non possit etiam dispensatione conferri a simplici Sacerdote. De Episcopatu idem censent omnes unanimiter: quia in tota retrò antiquitate nusquam, & nullibi legitur, Ecclesiam quoad alterutrum dispensasse; cum tamen non defuerint occasiones, & sæpè urgeret necessitas; maxime tempore persecutionum, cum Episcopi, vel interficerentur, vel incarcerationibus, vel exulabant.

Dices. In Synodo Antiochena Can. 10. legitur de Chore-

repiscopos: *Ordinant autem Lectores, Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus ista promotiones sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subiectus est.* Ergo, accedente consensu Episcopi, poterant ordinare Diaconos, & Presbyteros. Subinam; atqui Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, ut patet ex Ep. 4. Damasi, & Ep. 88. S. Leonis: ergo. R. Quamvis Chorepiscopi secundum se essent simplices Presbyteri, qui in Villis, & Pagis ab Episcopis præferebantur aliis Presbyteris, eo ferè modo quo Decani rurales apud nos constituuntur, per accidens tamen inter illos reperiebantur quandoque Episcopi: ii enim Episcopi, qui ab Hæreticis ad Ecclesiam revertebantur, aut Catholici, qui ad propriam sedem accedere non poterant, ne sine omni honore remanerent, ad aliquem Chorepiscopatum promovebantur. Constat ex ipso Canone Antiocheno cit. licet ipsum ab Ariani editum putent Baronius, & Bellarminus, qui sic incipit: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quantumvis manibus impositionem Episcoporum perciperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen, &c.*

## ARTICULUS II.

Utrum omnis Episcopus sit legitimus Minister Ordinationis?

Duplex hic occurrit quæstio resolvenda. 1. utrum Episcopus possit licitè ordinare non subditum? 2. utrum Episcopus intrusus, schismaticus, & excommunicatus, aut simoniacus valide ordinet? Utramque duplici §. resolvemus.

## §. I. Utrum Episcopus possit licitè ordinare non subditum?

Dico 1. Unusquisque a proprio Episcopo ordinari debet, aut ab alio de ejus licentia: si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandoque proprio Ordinario videbitur expedito, est suspensus. Ità in terminis Trid. sess. 23. cap. 8. de Ref. Quamvis ergo valida sit Ordinatō, ut patet, peccant gravitèr tam Ordinans, quam Ordinatus.

Dico 2. Ille proprius, seu superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diocesi est hic, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriendus, seu in cujus Diocesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem. Ità etiam in terminis Bonifacii VIII. cap. Cum nullus, de tempore ordinandorum in 6.

Triplici itaque titulo quis alicui Episcopo fit subditus quoad Ordines recipiendos, scilicet titulo nativitatis, seu originis, Beneficii, & Domicilii. Audio tamen, in quibusdam Provinciis nunc non admitti nisi titulum nativitatis, seu originis; fortè ex consuetudine Juri communi derogante. Hos autem tres titulos explicat Innocentius XIII. in Constit. Speculatores, data, 6. Novembris 1694. De titulo originis dicit: *Subditus ratio originis sit tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diocesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibi ortus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii legationis, mercaturæ, vel cujusvis temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda.* In his vero, quorum Parentes, & locus originis ignorantur, ut sunt infantes expositi, locus Baptismi reputatur locus originis. De titulo domicilii, *Subditus autem, inquit ratione domicilii, ad effectum suscipiendi Ordines, is dicitur censetur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen admodò stabiliter constituerit in aliquo loco, ut, vel per decennium saltē in eo habitando, vel majorem partem, ac honorum suorum partem cum instructis aditus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suam perpetuè ibidem permanentem animam demonstraverit: & nihilominus ulterius utroque casu se verè, & realitèr animum hujusmodi habere jurjurando affirmet.* De titulo Beneficii sic: *Licet . . . Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diocesi obtenti subdici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diocesi Beneficium hujusmodi situm est . . . tamen volumus, ut nemo cujusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censetur, nisi beneficium prædictum hujus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Religionis, pro oram ovidendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjunctione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu quavis alia Diocesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans . . . de redditu Beneficii hujusmodi expressam in consuetâ collatorum Ordinum attestacione mentionem facere debebit.*

Theol. Billuart. Pars Tertia.

Observandum est tamen ex Trid. sess. 23. c. 9. de Ref. quod Episcopus possit familiarem suum non subditum ordinare, si per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa ipsi conferat.

Dixi in Conclusione: *aut ab alio de ejus licentia*; quia Episcopus, infirmitate, aut alia causa legitime impeditus, subditos suos probatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittere potest, ut statuit Trid. sess. 23. cap. 3. de Ref. quæ licentia solet dari litteris, quæ dicuntur *Dimissorias*: de quibus sic Trid. *Non licet Capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant . . . alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit (ut si deberet fieri Sacerdos pro Pastoratu obtento) concedere. Si secus fiat, Capitulum contraventum Ecclesiastico subiacet interdicto; & sic Ordinari, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus verò ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso jure suspensi.* Ità in terminis Trid. sess. 7. cap. 10. de Ref.

Petes, a quo Regulares exempti debent habere litteras dimissorias? R. Prælati Regulares exempti debent dare suis subditis litteras dimissorias, seu, ut vocant, præsentationem ad Episcopum loci, quo situm est Monasterium, ipso autem absente, vel non ordinante, ad Episcopum benevolum. Constat 1. ex Decreto Sixti V. qui, moderando declarationem Gregorii XIII. prædecessoris sui, dicit: *Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum Diocesanum, qui si abfuerit, ad quemcumque, dummodò ab Episcopo, qui Ordines contulerit, examinatur quoad doctrinam.* 2. Ex Decreto S. Congreg. de mandato Clementis VIII. dato Romæ 15. Martii 1696. quo statuitur, *Superiores Regulares posse suo subdito, itidem regulari, qui prædictis qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diocesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab illis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit: & si Diocesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinatur quoad doctrinam: & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diocesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Diocesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissorie dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentie Diocesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimeendam esse. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, & vocis activæ, & passivæ privationem, ac alias arbitrio ejusdem sanctissimi D. N. Papæ reservatas penas incurraunt.*

## §. II. Utrum Ordinationes, factæ ab Episcopis intrusis, Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, Degradatis, Simoniacis, sint validæ?

Hujusmodi ordinationes esse illicitas, indubium est; esse etiam invalidas, saltē a simoniacis factas, & simoniacas, aliquando dubitatum est. Sed a temporibus D. Thom. vix ullus earum validitatem in dubium revocat. Quæstio hæc posset videri sufficienter discussa in Tract. de Sacramentis in genere Dissert. 5. art. 3. ubi probavimus generalitèr, Sacramenta per malos Ministros valide posse conferri: quædam tamen specialia de Sacramento Ordinis supersunt expendenda. Unde breviter

Dico (Hic q. 38. art. 2. o.) Ordinationes, factæ ab Episcopis intrusis, Hæreticis, Schismaticis, excommunicatis, degradatis, aut simoniacis, modò aliunde necessaria ad earum validitatem adhibeantur, scilicet materia, forma, & intentio faciendi quod facit Ecclesia, sunt validæ. Conclusionem hanc omni argumentorum genere probavimus loco citat. de Sacram. in genere. Hæc pro dictis hic habeto, pauca tamen exempla antiquitatis subijciam.

1. S. Cornelius vertente 3. sæculo recepit absque nova ordinatione Maximum Presbyterum, & alios Novatianos. 2. S. Athanasius in Synodo coacta ann. 362. statuit, inter Clericos recipiendos esse, qui ab Ariana hæresi, ad quam violentia quadam compulsi fuerint, redierunt; ut constat ex Actis ejusdem Synodi, ex Ep. S. Athanasii ad Rufinianum, & ex actione 1. secundæ Synodi Nicænæ. 3. Anatolium, qui in locum S. Flaviani in Sedem Constantinopolitanam a Iatrocinio Ephesino fuerat intrusus, instantibus Marciano Augusto, & Pulcheria, recepit S. Leo; & factas ab eo ordinationes probavit, ut constat ex ejusdem S. Leonis Ep. 78. aliis 54. 4. Ordinationes a Donatistis Ecclesia recepit, ut valide ordinatos: Non

Laz

sunt



sunt rursus Ordinati, inquit Aug. libr. 1. adversus Parmen. c. 13. Sed sicut Baptisma in eis, ita ordinatio mansit integra. 5. Nicolaus II. relatus causa 1. q. 1. c. 107. Concilium Romanum sub Alexandro II. S. Gregorius VII. ad Raynaldum Episcopum Comensem, recipiunt ut validas ordinationes factas ab Episcopis, aliunde simoniaci: ipsas vero ordinationes simoniacas S. Basilius in Ep. ad Episcopos suæ curæ commissis, eas non rejicit ut invalidas, sed dicit: Hæc si ita sint, post hæc non fiunt, sed emendentur. Item refert de S. Chrysostomo Palladius in ejus vita, & B. Petrus Damianus sæculo XI. in opusculo, quod *Gratissimum* appellavit, multis argumentis probat validitatem ordinationum simoniacarum.

Ratio verò generalis pro his omnibus ordinationibus est (*Ibid.*) quia potestas collata Episcopo in sua Consecratione nullo crimine deletur. Unde Trid. sess. 7. can. 9. definit: *In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde iterari non possunt.* Et sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem... non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse; anathema sit.*

#### Solvuntur objectiones.

Objectiones plurimas proposuimus, & solvimus loco cit. Quasdam, tunc omittas, quæ specialiter spectant Ordinis Sacramentum, compendiosè propono, sed prius revocanda sunt in memoriam, quæ tunc dicebamus, scilicet distinguendum esse inter Hæreticos, qui Sacramenti formam servant, & illos, qui non servant; priorum Sacramenta Ecclesiam recipere, posteriorum rejicere. Item distinguendum esse inter Sacramentum, quoad substantiam, & ejus effectum, qui est gratia: Malum Ministrum, quantum est ex se, conferre Sacramentum, & gratiam Sacramenti; sed suscipientem non recipere gratiam, quia peccat, & sic ponit obicem gratiæ: atque defectu hujus distinctionis exarsisse famosam illam controversiam inter S. Stephanum, & S. Cyprianum, cæterosque rebaptizantes. Hæc ibi.

Insupèr observandum est his verbis, *Ordo, ordinatio, ordinari*, non semper apud antiquos significari Sacramentum Ordinis conferens characterem, sed quandoque restitutionem honoris, & privilegiorum, atque exercitii potestatis suspensæ, quæ fiebat respicientibus cum impositione manuum, & etiã aliquando adhibitis rursus insignibus, & instrumentis ordinationis; ut constat ex hoc c. 28. Concilii Tolet. 4. ann. 633. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injustè dejectus in 2. Synodo innocens reperitur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi. Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum. Si Presbyter, orarium, & planetam. Si Diaconus, orarium, & albam. Si Subdiaconus, patenam, & calicem; & sic reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ, cum ordinarentur, perceperunt.* Ex his observationibus facilis erit responsio ad objecta.

Obj. 1. Concilium Nicænum 1. can. 8. jubet, ut ordinati a Novatianis ordinentur, & sic maneat in Clero. Ita refertur a Gratiano d. 7. cap. 8. 2. Innocentius I. Ep. 18. ratum habet Baptisma, non ordinationes Hæreticorum. 3. Synodus Constantinopolitana can. 4. habet irritas ordinationes factas a Maximo Cynico, qui ejusdem Ecclesie sedem dolo usurpaverat. 4. Stephanus IV. declaravit irritas ordinationes factas a Constantino in Sedem Romanam intruso, & ab ipso ordinatos iterum ordinavit. 5. Synodus 8. nullas declaravit ordinationes factas a Photio, Sedis Constantinopolitane invasore. 6. Leo IX. sæculo XI. cassavit ordinationes factas a simoniacis, & plures simoniacè ordinatos reordinavit. 7. Hincmarus in Synodo Suesionensi irritavit ordinationes Ebbonis exactorati. 8. Stephanus VII. ordinatos a Formoso prædecessore suo iterum ordinavit. 9. Cæcilianus ordinatus Episcopus Carthaginensis a Felice Aptungitano, quem Donatistæ dicebant esse traditorem, & ob quam causam rejiciebant ordinationem Cæciliani, dicit ipsis apud Optatum libr. 1. n. 19. *Ut si Felix in re, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsum tamquam adhuc Diaconum ordinarent in Episcopum.* 10. Deniquè Ecclesia potest apponere quædam impedimenta, ut schisma, hæresim, simoniam, quæ ordinationem irritam reddant, sicut apponit in Matrimonio.

R. ad 1. 1. Textus Græcus a Dionysio exiguo sic vertitur, *Ut impositionem manuum accipientes sic in Clero permaneant.* Ab Herveto: *Ut impositis eis manibus sic in Clero maneant.* Emendanda itaque lectio Gratiani, quam accepit ab Isidoro Mercatore. 2. Dicitur, sive ordinentur, sive impositione manuum, intelligendum est de restitutione in gradum honoris, & exercitium potestatis, ut observabam modo. Sunt quidem, qui per impositionem manuum, seu ordinationem, intelligunt ordinationem sacramentalem, non iteratam, sed factam a Novatia-

nis, ita ut sensus sit, *Eos, qui manibus impositionem perceperunt, ita in Clero permanere, seu, ut qui ex illis erant ordinati, sic maneat in Clero.* Ita habent antiquiores versiones, & ita acceperunt S. Hieronymus in Dialogo adversus Lucifer. & Innocentius I. Ep. 22. ad Episcopos Maced.

Ad 2. Innocentius habet ratum Baptisma, & non ordinationes Hæreticorum, quatenus baptizati ab Hæreticis dum redeunt ad Ecclesiam, statim sublata fictione recipiunt gratiam, qua privantur. At ab eis ordinati, non statim, ac redeunt, recipiunt honorem Clericatus, & functionem sui Ordinis. Ad 3. Synodus habuit irritas ordinationes Maximi Cynici, non quoad characterem, sed quoad ejus functiones. Ad 4. Similiter Stephanus irritavit ordinationes Constantini quoad gradum, & functiones; & eas iteravit, id est, adhibuit cæremoniam, qua exhibitus iterum insignibus ordinationis prius ordinati restituebantur in gradum, & functiones.

Ad 5. eadem est responsio. Ordinationes Photii declaratæ sunt irritæ quoad gradum, & exercitium functionum, non quoad substantiam, & characterem; siquidem ipse Photius, & ordinati ab ipso in suis gradibus postea restituti fuerint absquæ nova ordinatione. Ad 6. iterum eadem responsio. Leo cassavit ordinationes, id est, prohibuit usum gradus, & functionem: reordinavit, id est, cæremoniis adhibitis restituit in gradum, & functiones. Patet, quia Petrus Damianus narrat, quod, cum ex hæc cassatione, seu suspensione perpetua ab Ordinum functionibus tumultus esset exortus, ed quod divina officia, & Missæ amplius non celebrarentur, Leo priorem sententiam temperavit, & edixit, ut, qui scienter a Simoniacis ordinati essent, *quadragesima dierum penitentiam agerent, & sic in accepti Ordinis officio ministrarent.* Dubium ergo, quo pulsabatur Pontifex, & de quo loquitur Damianus, verisimiliter non erat de substantia Ordinationis, sed de pœna imponenda sic ordinatis, an deberet esse degradatio, seu suspensio perpetua. Quamquam daremus, dubitasse ad tempus de substantia ordinationis, nihil noceret; non enim negamus, aliquando de validitate hujusmodi ordinationum dubitatum esse.

Ad 7. Quæ fecit Hincmarus cum collegis in Synodo Suesionensi, rescissa sunt a Nicolao I. Epistola data 8. idus Decembris ann. 866. Insupèr in toto hoc negotio non agebatur de substantia Ordinis accepti, sed de functionum exercitio. Ad 8. Ex facto impio, & inhumano Stephani in Formosum nihil potest erui contra conclusionem; maxime cum omnes, exceptis paucis, qui Stephano adhærebant, starent pro validitate Ordinationum Formosi. Ad 9. 1. Responsum Cæciliani erat conditionatum, *Si Felix nihil contulisset.* 2. Hoc dixit Cæcilianus *Ad irridendos Donatistas, quoniam certus erat, Ordinatores suos non esse traditores,* inquit Aug. in Breviculo Collationis tertie diei c. 16. Ad 10. N. Ant. & paritate. Disparitas est, quod potestas ordinandi fundetur in characterem, quem delere non potest Ecclesia; at Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu valido, cujus validitas pendet ex legibus Ecclesie, & Principum. De quo infra. Quod obijci posset ex S. Cypriano, & aliis rebaptizantibus, non urget; notum est enim, eos ordinationis extra Ecclesiam factæ, sicut Baptismi extra Ecclesiam collati, validitatem immerito impugnasse. Cætera argumenta require loco cit. de Sacramentis in genere.

#### APPENDIX.

##### De Ordinationibus Anglicis.

HOC de argumento multa scripserunt his temporibus noster P. Le-Quien, P. Hardouin, Boucat, D. Tournely &c. adversus P. Le-Courayer, pro harum ordinationum validitate decertantem.

Questio est de ordinationibus factis secundum Rituale Eduardi VI. approbatum a Pseudo-Synodo Londonensi ann. 1562. quo ritu ab hoc tempore factæ sunt, & fiunt ordinationes Anglicæ, farentibus P. Le-Courayer, & Scriptoribus Anglis. Sic autem statuitur in hoc Rituali. 1. Episcopus Ordinator exigit ab Ordinando mandatum Regium, loco Bullarum summi Pontificis. 2. Exigit juramentum de suprema Regis potestate in spiritualibus, & temporalibus, & rejiciendo omnes extraneas potestates, superioritates, & auctoritates; consequenter auctoritatem Papæ, & Conciliorum. 3. Interrogat, *an sibi persuasum habeat, se vocatum esse juxta voluntatem Christi, & constitutionem hujus Regni, quæ in eo sita est, ut abdicata summi Pontificis obedientia, & Ecclesie Romane doctrina, propugnentur novæ Hæreses receptæ in Anglia.* 4. Interrogat, *utrum persuasum habeat, sacras Scripturas sufficienter ad salutem requiri;* consequenter inutiles, & rejiciendas esse traditiones. 5. Interrogat: *nun paratus sis fidelem, & diligenter operam impendere ad exterminandum quamcumque peregrinam, erroneam, verovogque divino contrariam doctrinam, aliosque tam privatim quam*

quàm publicè ad idem faciendum provocare atque excitare. Hæc autem doctrina peregrina, erronea, & verbo divino contraria in sensu interrogantis est manifestè Romana. His igitur interrogantibus aperte continetur doctrina Hæretica, Ecclesie Romane directè contraria.

Postquam Episcopus designatus ad hæc omnia interrogata suis responsionibus affirmativis satisfacit, Episcopus consecrator, impositis super illum manibus, formam ordinationis pronuntiat his verbis. *Deus omnipotens, Pater noster Cælestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insupèr vires ac facultatem AD HÆC EFFICACITÈ PRÆSTANDA, ut opus istud suum, quod incepit in te, absolvas, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo supremo die, per Jesum Christum Dominum nostrum: Amen.* His suppositis,

R. Ordinationes Anglicas esse absolute invalidas. Prob. ex insufficientia formæ in his ordinationibus adhibitis. Primò Christus est auctor omnium Sacramentorum, & quorum non determinavit in specie, determinandas reliquit non alicui Ecclesie particulari, aut privati hominibus: alioquin tot forent Sacramentorum formæ, quot sunt particulares Ecclesie, aut privati hominum conventus; sed universæ & uni suæ Ecclesie; atqui ordinationum Anglicarum forma non est ab Ecclesie determinata, sed a privati hominibus, Laicis, & hæreticis: ergo.

Secundò. Forma, secundum se & seorsim ambigua, & ex adjunctis circumstantiis aperte hæretica, non est sufficiens ad validam ordinationem; atqui talis est forma ordinationum Anglicarum: ergo. Prob. Min. Dm dicitur, *Deus Omnipotens concedat facultatem ad hæc efficaciter præstanda,* non significatur, quid per tō ad hæc sit intelligendum, ideòque ambiguous: attentis autem interrogatis & responsis immediate præcedentibus, evidens est per tō ad hæc intelligi hæreticam doctrinam in his contentam, atque perinde esse, ac si diceretur: *Deus concedat tibi vires & facultatem ad propagandum Primatum Regis in spiritualibus, ad debellandum auctoritatem Sedis Apostolicæ, ad impugnandas Traditiones, ad conculcandum doctrinam Ecclesie Romane, & ad asserendos errores Novatorum:* hæc enim omnia continentur in interrogatis & responsis immediate præcedentibus: ergo. Atque hoc duplici argumento auctor exussari omnes argutas Patris Le Courayer, ideòque supervacaneam esse plura addere; quæ tamē si videre cupiat curiosus lector, adeat Scriptorum prius laudatos.

#### ARTICULUS III.

##### De Subjecto Ordinationis.

TRIPlicem questionem hic proponimus resolvendam: 1. quanam sint capaces ordinationis? 2. quæ dispositiones requirantur in Ordinando, ut licitè recipiat Ordines? 3. quæ sint obligationes Ordinatorum?

##### §. I. Quanam sint capaces Ordinationis?

Difficultas est de mulieribus, de non baptizatis, de Infantibus, & de invitis. Mulieres non solum in Diaconissas, sed in Presbyteras, & Episcopas ordinabant Montanistæ; teste S. Epiphanius hæresi 49. & S. Aug. 1. de Hæresibus c. 27. Non baptizatos posse validè ordinari, opinati sunt quidam tempore Innocentii III. in eunte sæculo 13. Infantes esse Ordinis incapaces docet Durandus, quem sequitur Honoratus Tournely contra communem sensum Theologorum. Invitum validè ordinari, censet Morinus, Decocq. Vanroy, & pauci alii. Contra quos omnes pono sequentes Conclusiones.

Dico 1. (*Suppl. q. 39. art. 1. o.*) Mulier est incapax Ordinis. Ratio a priori est voluntas Christi, quæ nobis innotescit ex Apostolo & ex Traditione. (*Ibid.*) Ex Apost. qui 1. Cor. 24. 1. ad Tim. 2. & ad Ephes. 5. scribit, mulieri non esse permissum loqui in Ecclesia, nec docere, nec dominari in virum, sed eam debere discere in silentio cum omni subjectione; atqui Ordinis characterem insignitum competit ex officio loqui in Ecclesia, docere, & habere aliquam superioritatem & præminentiam in alios: ergo. Item Ep. citata ad Cor. 11. dicit: *Turpe est mulieri tonderi; eique præcipit, ut velato capite semper incedat:* ergo nec Tonsuræ Clericalis est capax. Ex Traditione. Christus condendo Ecclesiam solos viros Sacerdotes ordinavit in ultima Cœna, non mulieres, nequidem sanctissimam Matrem, cui tamen hæc dignitas præ ceteris omnibus mulieribus competeat, si alicui concedenda fuisset. A Christo usquè nunc, neque per Apostolos, neque per eorum Successores, ulla unquam mulier fuit sacramentalitè ordinata: ergo.

Congruentius plures protulit Apostolus locis citatis: 1. Quia vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesie; ideò non mulier viro, sed vir mulieri debet dominari. 2. Quia mulier est

ex viro, non vir ex muliere. 3. Quia mulier est propter virtum non vir propter mulierem. Ad hæc conformitèr Doctor noster (*Ibid.*): *Per Sacramentum Ordinis, inquit, significatur, & confertur aliqua eminentia gradus, quæ non habet locum in muliere; cum, ut dictum est, sit collata in statu subjectionis, & ideò ejus status repugnat significationi Sacramenti.* Addo ex S. Bonnav. in 4. dist. 25. quod Mediator noster, cujus legatione funguntur Sacerdotes, vir fuerit, non mulier.

Dices in veteri Testamento fuerunt quædam mulieres Prophetissæ. Item Debhora præfuit Populo Israelitico: ergo. R. 1. In his, quæ pendent a voluntate Christi, non currere argumentum a pari, nec ullam aliam rationem esse querendam nisi voluntatem instituentis. (*Ibid.* ad 1.) Disparitas est, quod Prophetia non sit Sacramentum, sed Donum Dei: unde ibi non exigitur significatio, sed solum res; & quia secundum rem in his, quæ sunt animæ, mulier non differt a viro, nam quandoque mulier, quantum ad animam, invenitur melior multis viris, ideò donum Prophetiæ & alia hujusmodi potest recipere, sed non Ordinis Sacramentum, cujus significatio non convenit statui subjectionis illius. (*Ibid.* ad 2.) Quantum ad Debhoram, non præfuit in Sacerdotalibus, sed in temporalibus ex commissione extraordinaria, sicut & nunc possunt & mulieres temporalitèr dominari.

Inst. 1. Abbatissæ præstant in spiritualibus suis Monialibus: ergo. (*Ibid.*) R. D. Ant. Abbatissæ præstant Prælatura ordinaria & propriè dicta, quæ sit jurisdictione Ecclesiastica, N. alias possent ferre Censuras. Prælatura ex commissione & impropiè dicta, quæ nihil aliud est, quam quædam cura domestica, quæ ipsis committitur propter periculum cohabitationis vicorum ad mulieres, C. Insupèr jurisdictione externa est ab Ecclesia: Jurisdictione interna in animas, qualis habetur per Sacramentum Ordinis, est a Deo. Unde, estò prima concedi posset mulieribus, non sequitur, quod secunda concederetur.

Inst. 2. Secundum plures & probatos Auctores mulier Joanna fuit Papa: ergo. R. Ant. esse fabulosum, ut demonstro in Digressione Historica. Sed illo gratis dato, nihil sequitur. Sicut enim ipsa mulier deceptit suos Ordinatores mentiendos sexum, ut referunt isti Auctores; sic ipsa decepta fuit, nec quidquam Sacramentalis Ordinis, cujus erat incapax, per ordinationem accepit.

Inst. 3. Saltè in primis Ecclesie sæculis erant Diaconissæ: ergo. R. Diaconissas non fuisse sacramentalitèr ordinatas; ut etiam ostendam in altera Digressione.

Dico 2. Homo non baptizatus est incapax ordinationis. Hæc Conclusio probata manet ex his, quæ diximus Dissert. 3. de Baptismo art. 1. Petit. 2. ubi probavimus ex Jure & rationibus, Baptisma ut januam & fundamentum aliorum Sacramentorum esse necessarium ad eorum validam susceptionem. Vide ibi. Addo. Nemo potest esse Minister publicus in Ecclesia, nisi sit ejus membrum; fit autem Ecclesie membrum per Baptisma. Item nemo potest agere & generare, nisi sit natus; nascimur autem in Ecclesia per Baptisma, & in ea agimus ac spirituales filios generamus per Ordinem: ergo. Unde Concilium generale Nicænum 1. Can. 19. jubet, Paulianistas, qui non servabant formam Baptismi, rebaptizari, & ab eis ordinatos reordinari.

Dices 1. Homo per fidem fit membrum Christi: ergo est capax Sacramentorum. R. D. Ant. Homo per fidem fit membrum Christi inchoatè, & quoad unionem internam, C. perfectè & quoad unionem tam internam, quam externam, N. Et ideò non est capax Sacramentorum, per quæ Deus voluit Ecclesiam suam & ejus membra visibiliter colligari, ut dicit Augustinus.

Dices 2. Socrates 1. 5. Hist. tripartitæ c. 23. dicit, Alexandriæ Lectores assumi indifferenter ex fidelibus & Cathæcumenis: ergo. Respondi jam alibi, ibi non agi de Ordinatione, sed de Officio legendi & psallendi, quod etiã Laicis committitur, & Cathæcumenis potest committi.

Dico 3. (*Ibid.* art. 2. o. *Ibid.* in a. s. c.) Infantes sunt capaces Ordinationis.

Prob. 1. Ex Cap. *Tue Littere* de Clerico per saltum ordinato libr. 5. tit. 29. ubi Innocentius III. eum, qui, susceptis minoribus Ordinibus infra annos discretionis, omisso Diaconatu, ad Sacerdotium fuerat promotus, jubet ordinari Diaconum, non verò iterari minores Ordines ante annos discretionis collatos: ergo censebat illos validè collatos.

Prob. 2. ab exemplis. 1. In vita Euthymii Abbatis, auctore Cyrillo Scytopolitano, refertur, ipsum triennem fuisse baptizatum, tonsuram, & Lectorem ordinatum. 2. In libro Pontificali legitur, Eugenium I. qui creatus est Pontifex ann. 652. fuisse Clericum a cunabulis. Plura in hanc rem legi possunt apud Morinum p. 3. de Sac. Ordinat. Exerc. 5. & Marten. libr. 1. de Antiquit. Rit. c. 8. art. 3.

Prob. 3. ratione. (*Ibid.* & o.) Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non requirunt actum, seu consensum ex parte



Infantis recipientis: ergo. Prob. Ant. 1. In Baptismo & Confirmatione. 2. Quia hujusmodi Sacramenta conferunt non actum, sed potestatem ad actum, potestas autem precedit actum: ergo, licet Infantes non possint habere actum Ordinis, possunt tamen habere potestatem, seu characterem, sicut habent potentiam ratiocinandi, licet ejus actus non exercent.

Dices 1. cum Durando. Ad validam susceptionem Sacramenti requiritur intentio suscipientis vel propria, vel interpretativa, qualis est v. gr. intentio Parentum in Baptismo suorum infantium; atqui neutra intentio est in Infante respectu Ordinis; non propria, ut patet; neque interpretativa, quia voluntas parentum dici non potest voluntas parvulorum, nisi in iis, quæ sunt de necessitate salutis, ut in Baptismo: ergo. R. D. Maj. Ad validam susceptionem Sacramenti requiritur intentio suscipientis adulti, C. propter rationes, quas deduximus Dissert. 6. de Sacram. in genere art. 1. Vide Suscipientis infantis, N. In eo enim neque propria, neque interpretativa voluntas requiritur, sed sufficit, quod Minister illi applicet formam & materiam cum intentione debita. Unde, sicut, si renitentibus Parentibus baptizaretur, aut confirmaretur infans, esset valide baptizatus, aut confirmatus; ita similiter si isdem renitentibus ordinaretur; cum hoc tamen discrimine, quod sic baptizatus teneretur Legem Evangelicam servare, quia est necessaria salutis, cui providere tenetur; at sic ordinatus non tenetur Legibus Clericorum, si vellet abstinere a functionibus Ordinis, quia illæ non sunt necessariæ ad salutem.

Inst. In forma ordinationis dicit ordinator: *Accipe potestatem*, &c. ergo ex parte recipientis requiritur acceptatio, consequenter consensus. R. N. Conseq. Quia ista potestas non traditur per donationem, aut contractum, ad quem requiritur consensus contrahentis, aut Donatarii, sed per efficacem operationem virtute characteris Episcopalis, respectu cujus recipientis se habet merè passivè, sicut cera respectu sigilli. Nec magis mirandum, quod dicitur Infanti ordinando, *Accipe potestatem*, quam quod dicitur Infanti baptizando, *Accipe salutem sapientie: Accipe signum crucis*.

Inferes: ergo Infans potest esse & dici Sacerdos & Episcopus; quod videtur absurdum. R. non esse absurdum, quod Infans sit & dicatur Sacerdos; quia hæc denominatio non est ab actu, sed a potestate illi collata per ordinationem; sicut Infans baptizatus dicitur fidelis a fide, non actuali, sed habituali.

Quantum ad Episcopatum, S. Thom. hic videtur negare Infantem ordinatum posse esse & dici Episcopum; quia, cum Episcopus accipiat potestatem in corpus Christi mysticum, requiritur actus suscipientis curam animarum pastorem. Verum duo distinguenda sunt in Episcopo, scilicet extensio characteris, seu potestas, & cura pastoralis animarum atque Ecclesie, quæcum inest matrimonium spirituale. Ad hoc 2. requiritur consensus, non ad 1. Et hoc sensu intelligendum esse S. Thom. docent nobiles ejus Interpretes, Paludanus, Dominicus Soto, Gonet, &c.

Dices 2. cum Honor. Tournely. Nullam extat in tota Traditione exemplum ordinationis validè collatæ infanti: ergo. R. ex duabus primis probationibus Conclusionis nostræ obicientem falsi convinci.

Dices 3. cum eodem. Nemo potest sine proprio consensu adstringi alicui statui, cui grave & indebitum onus est annexum, ut est continentia annexa Ordini: ergo. R. Infantem ordinatum, dum ad annos discretionis pervenerit, non teneri, ut jam dixi, ad legem continentie, si ab exercitio Ordinis velit abstinere.

Inferes: ergo etiam amentes & dormientes possunt validè ordinari. (Ib. & o.) R. perpetuo amentes posse validè ordinari, quia eadem est ratio de illis, ac de Infantibus. Amentes autem ad tempus, sicut & dormientes, si ante amentiam vel somnum habuerint voluntatem suscipiendi Ordines, possunt validè ordinari; secus, non possunt, quia, cum sint adulti, requiritur in eis aliqua intentio, seu consensus. Confer locum citatum de Sacram. in genere Dissert. 6. art. 1.

Repones. Non datur potestas ad actum impossibilem; atqui in pueris & perpetuo amentibus actus Ordinis est impossibilis: ergo. R. D. Maj. Non datur potestas ad actum impossibilem per se, aut pro semper. C. impossibilem per accidens, aut ad tempus, N. Sic in utrisque datur potestas ratiocinandi, quamvis in Infantibus actus sit impossibilis ad tempus, & in perpetuo amentibus per accidens.

Dico 4. Nemo absolute invitus validè ordinatur. Probationes hujus Conclusionis cum Objectionibus require loco citato de Sacram. in genere Dissert. 6. art. 1.

## §. II. Quæ dispositiones requirantur in subjecto ad legitime & licite suscipiendos Ordines?

**D**iximus §. precedenti de requisitis ex parte subjecti ad validam ordinationem. Quærimus nunc de requisitis ad licitam ordinationem?

Dico. Novem conditiones, seu dispositiones requiruntur in ordinando ad licitam susceptionem Ordinum, scilicet vocatio, recta intentio, probitas morum, scientia, ætas legitima, interstitia, titulus, ordinatio gradum & non per saltum, ac tandem immunitas ab irregularitate; quæ breviter probantur & explicantur.

### Vocatio.

**P**rima dispositio in aspirante ad Ordines est vocatio a Deo, juxta illud Apost. Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Sicut Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: *Filius meus est tu.* Unde Christus ipse sibi delegit Apostolos. Ratio est, quia altissima munia & gravissima onera, ad quæ vocatur ordinandus, exerceri non possunt absque speciali Dei auxilio. Inter varia autem vocationis indicia potissimum est recta intentio. Unde

### Recta intentio.

**S**ecunda dispositio est recta intentio ordinandi, scilicet, ut abdicatis curis secularibus liberius & devotius Deo serviat. Unde peccat mortaliter, qui sacræ militie adscribitur principaliter & præciè, ut obtineat pingue Beneficium, sicutque laudis ac honorificentie vivat, ut docet Auctor 2. 2. q. 183. art. 1. de Episcopo appetente Episcopatum propter divitias. Ratio est; quia utitur fructibus, & fruitur utendis in re gravi. Secus tamen, si principaliter intenderit Deo servire, & secundario frui Beneficio. Idem sub eadem distinctione plures censent de eo, qui Tonsuram tantum & minores Ordines suscipit, eo præciè animo, ut Beneficiis & Privilegiis Clericalibus ad tempus fruatur, & exinde ducat uxorem, aut aliter statum clericalem dimittat; quod tamen alii non probant.

### Probitas morum.

**T**ertia dispositio est probitas morum ex Trid. sess. 23. cap. 12. ubi loquens de ordinandis dicit. *Sciunt tamen Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit.* Ex c. 14. de promovendis ad Sacerdotium: *Ita, inquit, pietate, & sanctis moribus sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vite monita ab iis possint expectari.* Qualis debeat esse Episcopus, docet Apostolus 1. ad Tim. c. 3. & ad Tit. c. 1. Qualis Presbyter ibidem. Qualis Diaconus 1. Tim. 3. Qui conscius peccati mortalis sine prævia confessione, aut contritione Ordines, etiam minores, suscipit peccat mortaliter; secus, si Tonsuram; quia secundum nos minores sunt Sacramenta, non Tonsura.

### Scientia.

**Q**uarta Dispositio est scientia, major vel minor pro ratione Ordinis, ad quem promovendus est. Pro Tonsura Trid. sess. 23. c. 4. requirit, ut sit rudimentis fidei instructus, & sciat legere & scribere saltim suo idiomate. Pro minoribus ibid. cap. 11. requirit ulterius, ut saltim linguam latinam intelligat. *Minores Ordines, inquit, iis, qui saltim linguam latinam intelligant, per tempora interstitiorum, nisi aliud Episcopo magis expediens videbitur, conferantur.* Ubi To, nisi aliud Episcopo magis expediens videbitur, secundum probabiliorum & communiorum interpretationem, aspicit tantum interstitia, & non intelligentiam linguæ latinæ, in qua promittit dispensare non potest Episcopus.

Pro Subdiaconatu & Diaconatu ibid. c. 13. requirit, ut promovendi sint litteris & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Pro Sacerdotio, ultra quod debeat etiam intelligere suum Ordinem, id est, scire materiam, formam, ritum celebrandi, Rubricas, in quibus & quomodo obligent, qualis debeat formari intentio in Missa, & quomodo sit ipsis supplendum; requirit insuper Trid. ibid. c. 14. ut ad Populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur. Sacramenta autem intellige, quæ ministrare potest, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Extremam-unctionem; & in necessitate Penitentiam, cujus formam saltim scire

bet. Quantum ad casus conscientie, quamvis deceat eos penitus ignorare, non tamen ita debet scire, sicut ille, cui cura animarum incumbit.

Pro Episcopatu sess. 22. c. 2. requirit, quod scientia ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiat in Sacra Theologia, vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad illos docendos ostendatur.

Peccat ergo graviter Episcopus admittens ad Ordines profusus illiteratos, & ignorantes, præsertim ea, quæ a Trid. decernuntur, prævaricans in suo ministerio in grave damnum, & injuriam Ecclesie. Unde tenetur per se vel alios examinare, nisi de ipsorum sufficientia constet, ut si habeant litteras dimissorias a suo Ordinario, vel a suo Superiore Regulari; quos nihilominus iterum examinare potest, & insufficientes repertos repellere.

### Ætas legitima.

**Q**uinta dispositio est ætas legitima. Quidquid sit de Jure antiquo, Jure novo Tridentini pro Tonsura & Minoribus nulla determinatur ætas, modo initiandi sciant, quæ Concilium citatum supra requirit in ipsis, & judicentur idonei munitis suis obuentis. Pro Subdiaconatu requirit Concilium Sess. 23. c. 12. annum 22. pro Diaconatu 23. pro Sacerdotio 25. intellige pro quolibet Ordine annum inchoatum, ita ut qui complevit v. gr. annum 24. si vel una hora anni viginti quinti effluxerit, possit ordinari Sacerdos Imò quidam docent, quod, si inchoatur annus 25 a meridie, possit eodem die manè ordinari; quia, iniquitas, in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo. Ita Ledesma, Diana, &c. quos citat, & sequitur Andreas a Matre Dei. Verum id neque certum, neque tutum est. Sicut nec quod alii dicunt, diem bisextilem non esse computandum; quia annus requisitus computandus videtur juxta ritum & consuetudinem Ecclesie. Pro Episcopatu autem requiritur 30. annus completus c. Cum in concilio 7. Extr. libr. 1. tit. 6.

Pro Beneficio obtinendo ex Trid. sess. 23. c. 6. & sess. 24. c. 12. requiritur 14. annus inchoatus. Pro Beneficio Curato, aut dignitate, cui annexa est cura animarum, 25. inchoatus. Pro aliis dignitatibus, quibus non est annexa cura animarum, annus 22. inchoatus.

Pius II. Constituit. *Cum Sacrorum* data 15. Kal. Decembris. 1461. contra temeritatem illorum, qui antè legitimam ætatem se ordinari sicut, sic animadvertit. *Statuimus, & ordinamus, quod omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a Jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris, &c. ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint: & si hujusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Observandum est circa hæc Constitutionem, in ea agi de sacris Ordinibus tantum. 2. Suspensionem hanc esse perpetuam, & non tantum usque dum compleatur ætas requisita, ut quidam absque fundamento interpretantur. Unde, qui etiam post completam ætatem, in iis Ordinibus ministrare præsumeret, id est, scienter, & non ex ignorantia, sine dispensatione Pontificia, aut Episcopali, si factum sit occultum, irregularitatem incurreret.

### Observantia interstitiorum, & temporis a Jure statui.

**S**exta dispositio est observantia interstitiorum, & temporis a Jure statui. Concilium Trid. sess. 23. cap. 11. de Ref. jubet, ut minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videbitur, conferantur. Idem ibidem a minoribus Ordinibus susceperit ad Subdiaconatum requirit interstitia unius anni, nisi necessitas, aut Ecclesie utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. Attamen consuetudine introductum est in pluribus Dioccesibus, ut Tonsura & Minores simul eodem die conferantur, & Subdiaconatus post unum, vel alterum diem. Imò plures censent, posse eodem die conferri Tonsuram, quatuor minores, & Subdiaconatum, partim ex consuetudine pluribus in locis recepta, partim quia Tridentinum prohibet tantum eodem die conferri plures sacros Ordines.

Item eadem sess. c. 13. & 14. jubet servari interstitia unius anni inter Subdiaconatum & Diaconatum, similiter unius anni inter Diaconatum & Sacerdotium, nisi ob Ecclesie utilitatem, aut necessitatem aliud Episcopo videbitur. Ita autem utilitas, aut necessitas non debet esse publica, & totius Ecclesie; sufficit, quod sit alicujus Ecclesie particularis, aut Monasterii. Annus autem interstitiorum non computat mathematicè a die ad diem, sed ecclesiasticè a quatuor temporibus unius anni ad eadem quatuor tempora sequentis anni. Qui, non servatis

interstitiis, sine dispensatione ordinaretur, peccaret graviter contra Ecclesie præceptum; non tamen incurreret suspensionem, aut irregularitatem, quia nulla est idèo lata in Jure.

Dispensare in interstitiis pertinet ad Episcopum ordinandi, non ad Ordinatorem, si vi dimissorialium extraneum ordinet. Quantum ad Regulares; quidam tenent ab ipsis suis Superioribus posse & debere dispensari, & vi privilegii Alexandri VI. posse tribus Dominicis, aut Festis consecutivis tres sacros Ordines recipere; neque istud privilegium esse a Trid. revocatum, quin imò confirmatum & innovatum post Trid. a Gregorio XIV. & Clemente VIII. apud Rodriguez. Verum esto ita sit; Quid proderit istud privilegium, si Episcopus, cui persuasum est sibi propriam esse hæc in re dispensandi facultatem, nolit admittere hanc dispensationem, nec Ordines conferre?

Quantum ad tempus Ordinationis; quatuor Minores solent conferri feria 4. aut 6. antè sabbatum quatuor Temporum. Possunt etiam conferri privatim pro aliquibus, non generaliter pro omnibus, quavis die Dominica, aut festo duplici, ex Pontificali Romano. Pro collatione verò sacrorum Ordinum sex sabbatha a Jure determinantur. Scilicet sabbatum antè Dominicam 2. Quadragesimæ, antè Dominicam passionis, antè Festum Pasche, antè Dominicam Trinitatis, antè Dominicam 4. Septembris, & antè Festum Nativitatis, nisi incidat in Dominicam; tunc enim est Sabbatum præcedens. Qui sine licentia summ. Pontificis ordinatur extra tempora, incurrit suspensionem; & si ministrat in Ordine, irregularitatem, ut dixi prius ex Bulla Pii V.

Quantum ad Regulares videtur, quod illustrissimi Episcopi, si ita ipsis placeret, possent tuta conscientia absque dispensatione Pontificia illis conferre Ordines sacros extra tempora diebus Dominicis, aut Festis. Ità ferunt eorum privilegia ab Alexandro VI. Eugenio IV. & aliis concessa, quæ nec videntur revocata a Trid. Et dato quod possit prætendi aliqua revocatio, ea post Trid. confirmantur & innovantur Gregorius XIV. & Clemente VIII. Ità censent Rodriguez, Barbosa, Portellus, Diana, Philibert, &c. quos citat, & sequitur Andreas a Matre Dei, hic. Tract. 8. c. 4. Puncto 3.

### Titulus.

**S**eptima dispositio est Titulus. Est autem Titulus jus perpetuum ad necessaria pro congrua & decenti sustentatione Clerici, sive ex Beneficio, sive ex Patrimonio, sive ex Professione Religiosa. Unde triplex est Titulus, nempe, Beneficii, Patrimonii, & Professionis Religiosæ.

Circa hæc dispositionem, seu conditionem requisitam, sequentia statuit Trid. sess. 21. c. 2. 1. Requirit Beneficium, quod ad victum honestè sufficiat, consequenter perpetuum. Unde quis illicite ordinaretur titulo Beneficii, judicio prudentum, aut secundum legem Diocesis insufficientis, nisi adjuncto patrimonio fiat sufficiens, sicutque ex utroque coalescat Titulus integer. Pariter ordinaretur illicite titulo Vicarie temporalis; licite autem titulo Capellanie perpetuæ; item præstimonii, seu pensionis perpetuæ ex aliquo beneficio; si aliunde sufficiens ad victum. 2. Requirit Beneficium pacificè possessum. Unde non sufficit Beneficium litigiosum, neque separatim tantum, neque simplex presentatio, aut nominatio ad Beneficium. 3. Prohibet, ne ordinatus titulo Beneficii ipsum Beneficium resignare possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constituto, quod aliunde commode vivere possit; aliter facta resignatio sit nulla.

4. Declarat, Titulo Patrimonii ordinari non posse, nisi eos, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel communitate Ecclesiarum suarum. Nota, antè duodecimum sæculum neminem ordinari nisi titulo Beneficii, & primam mentionem patrimonii haberi in Concilio Lateran. III. sub Alexandro III. ann. 1179. in quo statuitur, quod Episcopus, qui sine titulo Beneficii Clericum ordinasset, ei ad vitam necessaria ministrare teneretur, nisi ex bonis patrimonialibus habere subsidium. Idem Innocentius III. cap. Cum secundum de Præbendis, & c. Accipimus de ætate & qualitate, &c.

5. Vult, Patrimonium, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. Hinc inferes, eos peccare mortaliter contra Ecclesie præceptum, qui ordinantur cum patrimonio ficto, sive sit datum eo animo & pacto, ut ordinatus ejus dominium non acquirat, nec contrahatur; sive eo pacto ut ejus dominium saltim apparenter acquirat, sed post ordinationem reddat; sive quia est bonum hypothecatum; sive quia declaratur sufficientes secundum uxorem, seu uxorem Diocesis, cum tamen sint non-biliter insufficientes. 6. Declarat, quod hoc Patrimonium & pensio deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extrinqui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti.



vel alienandi habeant unde vivere possint. Unde non est improba-
bile, quod ita alienatio, vel remissio sine licentia Episcopi sit
invalida, tum ex ipso textu Concilii, Nullatenus possunt; tum
quia Episcopus in hoc patrimonium quoddam sui acquisivit,
ne teneatur alere ordinatum; tum quia videtur eadem ratio ad
Beneficium.

Sed questio est, utrum, obtento Beneficio, aut alia posse-
ssione sufficienti, requiratur adhuc necessario licentia Episco-
pi ad alienandum patrimonium. Quidam negant, & herendo
littere non est improbabile. Alii affirmant; quia alias frustra re-
quireretur licentia Episcopi: is enim ante obtentionem benefi-
cii, aut alterius boni sufficientis nec vellet, nec posset dare li-
centiam prius patrimonium alienandi; requiritur ergo ejus li-
centia, ut, obtento Beneficio, vel alio patrimonio sufficienti,
prius alienari possit. Unde haec particula Donce limitat consen-
sum Episcopi ad tempus novae acquisitionis, ita ut sensus sit
non permittat Episcopus, alienari patrimonium, donec ipsi
constet ordinatum hoc titulo habere aliunde, quo vivere possit.
Et hoc est probabiliss.

7. Denique Synodus Antiquorum Canonum penas super his
innovat. Penas Ordinis scientie sine titulo est obligatio alien-
di promotum, si aliunde non habet unde vivat, ex Concilio
Lateran. & Juribus supra citatis. Dixi Statuer; si enim, adhi-
bita sufficienti diligentia, deceptus fuit Episcopus, ad nihil tenetur,
neque si patrimonium postea destruitur; neque si extra-
neum cum dimissoris ordinaverit; mittentis enim est exa-
minare patrimonium sui subditi. Si vero Episcopus sive ordina-
ns, sive mittens, examen patrimonii commiserit Vicariis
Generalibus, aut Examinatoribus, & ipsi falso testentur verita-
tem, & sufficientiam patrimonii, hi teneantur loco Episcopi ad
aliunde promotum.

Penas ordinati sine titulo, aut cum titulo ficto, iuxta cap.
Neminem Concilii Chalcedon. & c. Sanctorum Urbani II. D. 70.
est suspensio ab Ordinis executione. Sed cum Innocentius III.
qui obiit 1216. cap. Cum secundum extra. de praebendis. 3. tit. 5.
hanc clerici sine titulo ordinati penam mutaverit in obligatio-
nem impositam Episcopo illum alendi, videturque Tridenti-
num innovasse tantum Canonum penas, quae tunc vigeant,
non vero revocatas, quidam consent ordinatum sine Titulo,
aut cum Titulo ficto, nullam penam nunc incurrere.

Attamen probabiliss videtur, eum incurrere suspensionem
lata per antiquos Canones. 1. Quia Concilium dicit se Inno-
vare; quo significat, se non tantum penas tunc vigentes con-
firmare, sed etiam revocatas innovare. Insuper dicit Antiquo-
rum Canonum, respiciens potius, ut videtur, ad antiquos Cano-
nes Concilii Chalcedonensis, & Urbani II. quam ad recentio-
res Concilii Lateran. & Innocentii III. 2. Quia, si Episcopus
deceptus ab ordinato, non teneatur illum alere, sique nulla erit
pena, quod videtur contrarium Concilio innovati penas an-
tiquorum Canonum. 3. Quia refertur a Fagnano resolutio Sa-
cræ Congreg. Cardinalium data 27. Novembris 1610. his
verbis: Sacra Congregatio Cardinalium censuit, Clericam, qui,
adhibito solo, censuitque Titulo Ordinatorem decepit, esse ipso
jure suspensum, caretereque Ordinum functione. Hanc autem sus-
pensionem etiam incurrit, qui, etsi consentiente Episcopo, ordi-
natus sine titulo.

Petes 1. Utrum, qui ordinatur cum vero titulo, sed insuf-
ficienti, incurrat suspensionem? R. probabiliter negative: quia,
cum probabile sit iuxta antiquos Canones non requiri titu-
lum sufficientem ad sustentationem, sed quemcumque; etiam
probabile est, quod, qui ordinatur cum titulo tenuiori, licet
peccet mortaliter contra preceptum Trid. non incurrat tamen
suspensionem latam ab antiquis Canonibus, & a Trid. innovatam.

Petes 2. Utrum, qui habent patrimonium cum pacto illud
reddendi post Ordinationem, incurrat suspensionem? Videtur,
quod non; quia tempore ordinationis habet verum titulum, li-
cet postea reddendum. R. tamen probabiliss affirmative: quia
hujusmodi donatio Tituli post ordinationem reddendi videtur
in foro conscientie nulla; non enim donans intendit vere do-
nare & transferre dominium, sed apparenter tantum, ut de-
cipiatur Episcopus; alioquin, si vero donaret & transferret do-
minium, donatarius non posset reddere sine licentia Episcopi,
quod certum non concederet. Equidem in foro exteriori do-
nant, sed quod Ecclesiam decipiat, non datur actio in donatari-
um, sed aliud est in foro conscientie.

Petes 3. Utrum exercens Ordinem in hac suspensione incur-
rat irregularitatem? R. affirmative. Quia effectus violationis
cujusvisque suspensionis a functionibus sui Ordinis est irregu-
laritas. Cap. Cum aeterni 1. de sententia & re judicata l. 2. tit. 14.
in 6. cap. Cum medicinalis 1. & cap. Licet 20. de sentent. Ex-
comm. lib. 5. tit. 11. in 6.

Quantum ad Regulares, eis sufficere pro titulo profes-
sionem solemnem in Religione approbata, indicat can. 6. Con-

clii Chalcedon. Ubi reponunt eos in eodem loco cum Beneficiatis,
decerunt, nullum esse ordinandum, nisi specialiter in Ecclesia
Civitatis vel Pagi, aut in Martyrio (hi tunc erant tituli Bene-
ficiorum) aut in Monasterio, qui ordinandus est, pronuntietur.
Quod deinde variis constitutionibus & una perpetuo firmatum
est; & merito; cum Religiosi ex bonis Monasterii, aut ex fi-
delium elemosynis, habeant unde vivant.

Dixi, Professionem solemnem: quia Novitii & non professi
solemniter non possunt titulo Paupertatis ordinari ex Bulla
Pii V. Romanus Pontifex Sacrorum 75. in qua & ordinatus sus-
penditur ab exercitio Ordinum, & ordinans a collatione Ordini-
um par annum. Excipie tamen Patres Societatis Jesu, qui ex
speciali concessionem Gregorii XIII. post simplicem professionem
possunt ordinari.

Ordinatio per gradus, & non per saltum.

Ordinatio per saltum dicitur, quando quis, omisso Ordine
inferiori, suscipit superiorem, v. gr. si Subdiaconus, omisso
Diaconatu, fiat Sacerdos. Quamvis Ordinatio per saltum
(Suppl. q. 33. art. 5.) sit gratanter prohibita c. Solicitudine d. 52.
c. Tue Littere de Clerico per saltum ordinato, & Trid. Sess. 23.
c. 15. de Ref. est tamen valida, cum Jura laudata jubeant
tantum conferri inferiorem omisum, non iterari superiorem
susceptum: & aliunde sunt potestates distinctae, & una, quan-
tum est de sui ratione, non requiritur aliam in eodem subjecto;
excipie Episcopatum, qui essentialiter supponit Ordinem, ut
dicemus infra. Probabiliss est, quod Ordinatus per saltum in-
currat suspensionem ex cap. Tue Littere citato, & ex Trid.
citato, ubi dicitur: Cum promoti per saltum, si non iunior a-
verint, Episcopus ex causa legitima possit dispensare. Supponit
ergo incurrisse suspensionem, in qua indiget dispensari. Qui
vero exercet functionem Ordinis, quem non suscepit, ipso facto
fit irregularis cap. Si quis baptizaverit, de Clerico non ordinato
ministrante, extra. l. 3. Tit. 27.

Immunitas ab Irregularitate.

Irregularitas est impedimentum Canonicum, quo quis red-
ditur directè & primario inhabilis ad Ordines licite susci-
piendos, consequenter ad eos exercendos. Dixi licite; quia ir-
regularis, valide ordinatur. Amplius explicatio pertinet ad ma-
teriam de Censuris.

ARTICULUS IV.

De Continentia annexa sacris Ordinibus.

Clericos majores adstringit recitationi Horarum Canonicæ, ex
universali Ecclesie consuetudine vim legis habentem, dixi
in Tract. de Relig. Diss. 2. art. Præter hanc obligationem
contrahunt aliam de continentia perpetuo servanda: de qua
modo.

Dico 1. In Ecclesia Occidentali omnes Clerici majorum Or-
dinum, ab Episcopo ad Subdiaconum inclusive, teneant servare
continentiam perpetuam, ita ut nec post Ordinem susceptum
Matrimonium contrahere possint, nec Matrimonio ante Or-
dinem contracto ut constat ex variis textibus Juris, cap. Pres-
byteris D. 27. cap. si qui Extra. l. 3. Tit. 3. & pluribus aliis in-
fra citandis. Unde Concilium Trid. Sess. 24. Can. 9. sic defi-
nit: Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos ...
posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse,
non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto ... anathema sit.

Viguit ista Lex ab Ecclesia inenarrabilis saltem quoad Sa-
cerdotes & Diaconos, ut constat ex Concilio Carthag. 2. an-
no 390. Can. 2. ubi dicitur: Placuit, & condicet Sacramentis
Antistites: & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sa-
cramentis divinis inseruntur, continentiam esse in omnibus, ut,
quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos
quoque custodiamus.

Dixi, Saltem quoad Sacerdotes & Diaconos; videtur enim
quoad Subdiaconos non eandem semper fuisse disciplinam in
Ecclesia Latina. In altero enim Concilio Carthag. ann. 398.
Can. 8. legitur: Placuit, Episcopos & Presbyteros & Diaconos
secundum priora Statuta etiam ab uxoriis contineri. Ceteros
autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum unicuiusque Ec-
clesie consuetudinem observari debere. S. Leo invenitur primus,
qui expressè nominavit Subdiaconos, prohibens ipsis, ut Episco-
pis, Sacerdotibus, & Diaconis, non solum contrahere Ma-
trimonium, sed etiam Matrimonium ante Subdiaconatum con-
tracto uti. Sic enim habet Ep. 84. nunc 12. cap. 4. Nec Subdia-
conis connubium carnale conceditur, ut & qui habent, sint tan-
quam non habentes; & qui non habent, permoneant singulares.
Quod si in hoc Ordine, qui quartus a capite est, dignum est cus-

todiri, quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servan-
dum est?

Neque tamen tunc ubique obtinuit hoc Decretum, si qui-
dem post sæculum integrum tempore S. Gregoræ Subdiaconi in
Sicilia adhuc uterentur Matrimonio prius contracto. Et ann. 721.
in Concilio Rom. sub Gregorio II. Can. 1. 2. & 3. & in altero
Concilio Rom. sub Zacharia ann. 743. fit mentio continentiae
Presbyterorum, & Diaconorum, nulla Subdiaconorum. Unde-
cimo tantum sæculo videtur ubique recepta lex de continentia
Subdiaconorum. Unde Leo IX. qui obiit ann. 1054. contra Epis-
colam Nicetæ Abbatis: Omnino, inquit, confitemur, non licere
Episcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam uxorem
causa Religionis abdicere a cura sua, scilicet ut ei victum, &
vestitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter ja-
ceat. ... nec si deinceps inter eos carnale conjugium. Refertur cap.
omnino d. 31. In Concilio Melicensi ann. 1089. sub Urbano II.
can. 12. sic decernitur: Vos, qui in Subdiaconatu uxoriis va-
care voluerint, ab omni sacro Ordine removeamus; officio atque
Beneficio Ecclesie carete decernimus. Mirum videri non debet,
tardius hanc legem viguisse pro Subdiaconis; siquidem Subdia-
conatus non semper annumeratus fuerit inter sacros Ordines.

Dixi, In Ecclesia Occidentali; quia apud Græcos, quamvis
semper fuerit prohibitum saltem Presbyteris, & Episcopis, &
etiam nunc sit prohibitum Diaconis contrahere Matrimonium
post Ordinem susceptum, attamen a tempore Concilii Trullani,
scilicet Quin-Septi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, non Episco-
pi, utuntur Matrimonio prius contracto, idque tolerat Ec-
clesia pro bono pacis.

Dico 2. (Ibid. c. 2. q. 88. art. 11.) Continentia annexa
est Ordini sacro, non Jure naturali, aut divino, sed Ecclesiast-
ico. Non Jure naturæ, & Sacramento tractant, munditiam corporalem
per continentiam servant, id tamen per se necessariò non exi-
git Ordo; quia per illum homo non traditur Deo ad vivendum
castè, sicut per religiosam Professionem, sed tantum ad sacrum
Ministerium exercendum, cui essentialiter non repugnat Ma-
trimonium; ut patet ex se, & in Levitis, imò & summis Sacer-
dotibus antiquæ Legis, qui uxores ducebant. Non Jure divino;
quia neque in Scriptura, neque in Tradit. est assignabile, ut
patet ex Sol. Obj.

Confirm. utraque pars. Apud Græcos Clerici majores, excep-
tis Episcopis, licite utuntur Matrimonio ante ordinationem con-
tracto, cap. Aliter d. 32. ex Stephano Papa, & cap. Cum olim
de Clericis conjugatis extra. lib. 3. tit. 3. ex Innocentio III.
Item ex Concilio Florent. & aliis, in quibus cum ageretur de
unione utriusque Ecclesie, Latini adversus hanc Græcorum dis-
ciplinam non sunt conquesti; atque, si continentia esset annexa
Ordini sacro Jure naturæ, aut divino, Clerici majores apud Græ-
cos non uterentur licite Matrimonio, etiam accedente dispensa-
tione Ecclesie, quippe quæ dispensare non potest in Jure naturæ,
aut divino: ergo.

Dico 3. Rationabiliter atque convenienter Ecclesia an-
nexuit Ordini sacro continentiam. Est contra Novatores, qui Le-
gem hanc velint injustam, tyranicam, verbo Dei, ac ipsi naturæ
contrariam traducunt.

Prob. 1. Ex Apost. 1. Cor. 7. ubi vult, conjugatos abstinere
ad tempus ab usu conjugii, ut vacent orationi; atque sacrorum
Ministrorum officium est pro populo semper orare, & Ministe-
ria sacra peragere: ergo congruè admodum Interdicuntur usu
conjugii. 2. Idem Apostolus 2. Timoth. 2. vult, ipsum, ut ho-
minem militem Christi, non implicari negotiis sæcularibus; atque
nihil magis implicat negotiis sæcularibus, quam officium con-
jugale, & curæ matrimoniales: ergo.

3. Sacerdotes in antiqua Lege tempore vicis suæ ab uxori-
bus abstinere: ergo rationabiliter Ecclesia exigit, ut Sacer-
dotes, & sacri Ministri novæ Legis, qui quotidiani, & longè
dignioris Ministerii necessitatibus occupantur, ab uxoriis absti-
neant. Ita Innocentius 1. Ep. 9. ad Victricium Rothomagensem.
4. Si sacri Ministri non secus, ac sæculares uxoriis uterentur.
1. minus honorarentur a Populo. 2. minus expediti essent ad
faciendas elemosynas. 3. proventus Ecclesiasticis passim appli-
carentur usibus profanis, & Beneficia Ecclesiastica, ad filios
quæ hereditario jure transmitteretur; sin minus Ecclesia tene-
retur eos alere: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 2. Conclusionem. Ordini sacro annexum est
votum solemnè castitatis; atque hac ratione professio re-
ligiosa ex natura rei dirimit Matrimonium: ergo. R. N. Ant.
si intelligatur de voto strictè solemnè. Etenim votum proprie
solemnè castitatis dicit traditionem personæ voventis ad conti-
nentiam servandam: Ordinatio autem sacra ex se non dicit tra-
ditionem Ordinati ad continentiam, sed ad sacrum Ministe-
rium. Billuart. Pars Tertia.

rium, de cujus essentia non est Coelibatus, sicut est de essen-
tia Religionis. Religio enim essentialiter constituitur ex tribus
votis; si quod ergo votum castitatis nunc includat Ordinatío
sacra, id fit juxta dispositionem Ecclesie, nec est votum so-
lemne, sed simplex: vocatur quidem solemnè a Bonifacio VIII.
Tit. de voto, & voti Redempt. in 6. non quia sit strictè tale, sed
quia solemnizatur per solemnem Consecrationem, seu Sacram
Ordinationem secundum quam habet, quod dirimat Matrimo-
nium, sicut votum solemnè Religionis, Unde dici potest, &
debet solemnè.

Inst. Sacris Ordinibus initiati sunt Deo sacri, seclusa omni
Lege Ecclesiastica, & voto; atque contra naturam est, quòd res
Deo sacra convertatur ad usum profanos, sicut v. gr. quòd ca-
lix deserviat potui communi: ergo. R. D. Maj. Sacris Ordini-
bus initiati sunt Deo sacri ad paupertatem, continentiam, &c.
servandam, ut Religiosus, sed ad sacrum dumtaxat Ministe-
rium, cui, licet de congruo, non tamen essentialiter contra-
rietur matrimonium. Unde D. Min. Contra naturam est, quòd
res Deo sacra convertatur ad usum profanos essentialiter suæ
sacrationi contrarios, Transeat Min. non essentialiter contra-
rios, N.

Obj. 2. contra eandem. Apost. ad Tit. 1. Oportet Episcopum
continentem esse. Euseb. Cæsar. libr. 1. de demonstrat. Evang.
c. 9. dicit: Secundum Leges novi Testamenti debere servari. In-
itiatos ab uxoriis abstinere. Siricius Papa supra citatus docet,
Christum voluisse Ecclesiam suam splendore castitatis radiare:
ergo coelibatus est de jure divino annexus Ordini sacro. R. his
testimoniis nihil aliud evincit, quam quòd coelibatus Ministe-
rium Ecclesie sit ex institutione, & precepto Apostolorum con-
formiter intentioni, & beneplacito Christi, non tamen secundum
ejus institutionem, ut indicant verba subsequencia Syriaci: Sicite
per Apostolum suum instituit.

Inst. Sacerdotes, & Levitæ veteris Testamenti Jure divino
tenebantur abstinere ab usu conjugii tempore suæ vicis: ergo
Sacerdotes, & Levitæ novi Testamenti a fortiori toto vitæ tem-
pore, quia sunt semper vices eorum in sacro Ministerio, quòd
est longè excellentius veteri. R. N. Conseq. Quia in pluribus
locis veteris Testamenti id erat præceptum a Deo Sacerdotibus
suis; in nullo autem novi Testamenti id præcipitur nostris, ni-
si per Apostolos, & Ecclesiam.

Repones. Illud præceptum in veteri Testamento erat mora-
le, adeoque non cessavit in novo. R. D. Ant. Erat morale se-
cundum congruentiam, & condecensiam, C. secundum neces-
sitate absolutam, N.

Obj. 3. contra 3. Conclusionem cum Hæreticis. Ecclesia
non potuit præcipere coelibatum suis Ministris: ergo. Prob. Ant.
1. Quia Apostolus 1. ad Tim. 3. dicit: Oportet Episcopum esse
unius uxoris virum. 2. Ad Hebr. 13. jubet esse honorabile con-
nubium, non solum aliquibus, sed in omnibus. 3. Sextus Can-
on Apostolorum habet, ut Episcopus, aut Presbyter nequaquam
sub obitu Religionis uxorem abiciant. 4. Quia 1. ad Tim. 4.
Apostolus damnat eos, qui venturi erant prohibentes nuptias.
5. Matrimonium est Jure naturæ a Deo præceptum, Genes. 1.
Crescite, & multiplicamini; aut saltem Deus illud reliquit om-
nibus liberum: ergo Ecclesia non potuit illud aliquibus prohibe-
re. R. N. Ant. Ad 1. probationem dico, sensum Apostoli non
esse, quòd Episcopus post ordinationem suam accipiat uxorem,
sed quòd non eligatur in Episcopum, nisi is, qui nec habeat,
nec ante suam ordinationem habuerit pluraquam unam uxorem;
ut per hoc excluderet bigamos, qui sensus patet ex hoc, quòd
cap. 5. ejusdem Epistolæ vellet, viduam elegi in Diaconissam,
quæ fuerit unius viri uxor, id est, quæ non haberet plures ma-
ritos, quam unum; implicat enim, quòd vidua habeat actu
virum.

Ad 2. Sermo Apostoli dirigitur ad conjugatos hoc sensu,
scilicet, in omnibus legitime conjunctis honorabile sit connu-
bium, cubile immaculatum, stupris, aut adulteriis non deho-
nestatum: vel ut alii intelligunt, sit honorabile connubium in
omnibus, hoc est, ex omni parte, tam scilicet ex parte Sacra-
menti, quam ex parte fidei, & prolis, quæ sunt tria bona ma-
trimonii: alterutrum autem sensum esse legitimum, patet ex
eo, quòd immediate subjungat, Fornicatores enim, & adul-
teros judicabit Deus.

Ad 3. Eo Canone significatur, conjugatos, qui assumun-
tur ad clerum, non posse abdicere uxores suas quoad curam vic-
tus. Sic intellexit. S. Leo Ep. 92. c. 3. & Leo IX. in 1. Conclu-
sione laudatus. Ad 4. Apostolus prædicat venturos, qui damna-
turi erant nuptias ut per se malas, quales fuerunt Tatianns,
Martionistæ, & Manichæi; quod non facit Ecclesia. Ad 5. Ma-
trimonium est de Jure naturæ permissivum, non præceptivum, re-
spectu saltem cujuslibet particularis, ut dicemus diu de Ma-
trimonio. Præceptum autem divinum obligavit singulos eo tem-
pore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generatio-